



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Benedicti Ariæ Montani Hispalensis Poemata**

In Qvatvor Tomos Distincta

Humanæ salutis Monumenta, & Odæ variæ

**Arias Montano, Benito**

**Antverpiæ, 1589**

In tabulam Ioannis Baptistæ. Carmen Dicolon Tetrastrophon. XXXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44973**

MONUMENTA.

47

Effecit vacuum fastibus & dolo,  
Contemnensque sui pectus, & ignea  
Semper docta, superno  
Consentire fides Patri.  
Agnoscunt vtero quem foueas tuo,  
Testanturque nouis vocibus omnia,  
Valles, flumina, silvae,  
Quocunque extuleris pedem.  
Quin ipse officij muneribus tui  
Gratus latitiam personuit piam  
Aluo quem gero foetus,  
Et mentem cumulat mihi.

PIETATIS CONCORDIA.

Gaudia, diuitiasque Dei communia multis  
Esse cupit, quisquis numinis instar habet.

FEMINAR. SANCTISSIMAE P.

In tabulam Ioannis Baptistr.

Carmen Dicson Tetraphonou. XXXVII.

A Strum nascitur insito  
Fulgens lumine, quem Deus  
Solis paciferi indicem  
Terris præstitit almus.  
Hunc in montibus arduis  
Exsangui in senio parens,  
Mirandis puerum & modis,  
Mirando edidit ortu.  
Salutis ferat ut nouæ  
Latè tempore nuntium,  
Et testis bona gratia  
Magnæ saecula monstrat.  
Vos quæ diligitis Deum  
Matres, vos quoque virginæ  
Infanti properè nouo  
Laudum nectite ferta.  
Nec componite mollius,  
Quamuis membra tenerimas,  
Affuecat, simile, aspergo  
Iam nunc vita labori.

AVRO.

## HVMANAE SALVTIS

AVRORA DIEI NVNTIA.

Dona Deus quanto soleat splendore parare,  
Si quisquam obseruet tempora, testis erit.

DEO PROSPECTORI SAC.

In tabellam Natalis Iesu.

Natura humana nenia. XXXVIII.

**V**irgineo splendens infans ut prodiit alio,  
Atque illæsa dedit templa pudicitia:  
Quæ iam vteri intacti stupuit NATURA tumores  
Nunc pauet insolitum læta puerperium.  
Atque nouum mirata genus, variis quoque gaudens  
Blandidulos fertur concinuisse modos.  
Excellis mea iura puer, quod gigneris, aut quod  
Nasceris; at meus es quod puer & tener es.  
Ergo me superas, sine me qui nasceris infans.  
Quod si me superas, es puer ergo Deus.  
O puer & certè Deus, ô mihi iungeris, ut te  
Partibus excipiam, muneribusque meis.  
O Deus, & verè puer, ô tibi iungor, ut aucta  
Amplius ipsa tuo numine perficiar.  
Accipies ex me curam puer, atque labores,  
Mortis onus (tibi sic quod placet) accipies.  
A te ego, sed pacem Deus, accipiāmque salutem,  
Et posse æternæ rumpere vincla necis.

SOL IVSTITIAE EXORIENS.

In tenebris fulgens lumen, diuinaque dona  
Simplicitas cernit: non videt ambitio.

HVMANAE SORTIS SVSCEPTORI  
DEO HOMINI S.

In tabulam circuncisi Iesu.

Ode Tricolas Tetrastrophæ. XXXIX.

**Q**uis te, sancte puer, flere doloribus  
Maturis docuit? scilicet æthere  
Descendisse iauabat,  
Ut discas gemitus nouos?

Sel.